JOANNI QUINTO

POTENTISSIMO LUSITANIAE REGI 18 13

CARMEN

DE SOLEMNI POMPA

Ejusdem gloriosissimo Nomini instituta

Ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino

NUNNO DE CUÑHA

S. R. E. Cardinali Amplissimo.


AUCTORE


ANTONIO FRANCISCO FELICI ROMANO

Inter Arcades

SEMIRO ACIDONIO

eorumque Collegij XIIViro.






Excudebat Romæ Ioannes Franciscus Buagni MDCCXXII.

Præsidum Permissu.

Admonitio ad Lectorem,

C*Armen de Solemni Pompa, inclyto Lusitaniæ Regis Nomini ab Eminentiss. Cardinali* NUNNO *de Cuñha instituta, festinanter conscriptum, eiusdemque amplissimi Cardinalis iussu, Auctore etiam atque etiam obnitente, editum, habes, amice Lector. Siquid desiderio tuo, tuæque expectationi minus accommodum offenderis, æqui, boniq; consule: Nullam etenim ex hoc laudem Auctor aucupatur, cui tota laus erit, benignissimi ergà se Principis voluntati obtemperasse. Vale.*



CAR-



CARMEN





Uæ nova Romuleis miracula Collibus? Æther
Quo resonat plausu? quæ publica gaudia? Nomen
Dum celebrat, REX magne, tuum, argumentaque NUNNUS
Sinceræ fidei, votivaque pignora libat;
Ille etenim centum Proavis illustribus ortus,
Lusiadum decus ingens, Purpureiq: Senatus
Summus honos, sacræ tutelaq: Relligionis,
Innumeras dispergit opes, curasque fatigat
Artificum, Vatumque, & nomina magna Choraulas,

Augusto REGI meritos ut gratus honores
Instituat, festas & digerat ordine pompas.
Est Via, quæ mediam dirimit longissima Romam,
Cardine ab Arctòo adversum porrecta sub Austrum,
Annua quâ personatus ciet Orgia Bacchus,
Hippodromumque fugax terit ungula Quadrupedantis.
Celsa Domus NUNNI sedet hìc; anaglyptica fronte
Ornamenta nitent: intus Conclavia multo
Collucent auro; Tabularum culta supellex,
Et quotquot raris variata Aulęa figuris
Belgica finxit acus, pendent de pariete summo,
Hospitis indicium generosi. panditur ingens
Aula; Tholi in speciem vertit sinuata Lacunar
Purpura; sublimes hinc, atque hinc Purpura muros
Vestibat, tænijs intercurrentibus aureis.
Multa Tholo suspensa Faces chrystallina Lampas
Accendit; Facibus paries micat omnis, & ardet
Nox mentita diem: scutulata reverberat ignes
Chrystallus; Speculis Lux alternantibus orta
Vincitur, & vincit, ludente per aera flammâ.
In medio surgit Tentoria subter Imago.
Hîc Rex magnanimus, pace inclytus, inclytus armis
Spirat in effigie, quam plurima gemma coronat.
Sed jam tempus adest; subito cum fervere visi
Ausonij Proceres; concurritur undique: primum
Conspicuos Ostro Patres, gravitate verendos,
Excepit NUNNUS; paribusq: sedilibus omnes

Ma-

Matronæ, Latiæque Nurus in divite peplo
Adſtabant: Tyriæ Veſtes, & candida Byſſus
Monſtrantur; multis per lactea colla, per armos
Flammea deſcendunt; pretioſa Monilia Gemmis;
Armillæ gemmis, geminiſque renidet Inauris.
Mox et punicea decorat quos Cyclade Princeps,
Dicere jura reis, & verba forenſia juſſos,
Romanoſque Equites, magnam longo ordine Turbam
Cernere erat latè; reprimit vix maſſa catenarum,
Et cuſtoditæ cataphracto milite portæ
Undantem foribus populum; plena Atria; pleni
Scalarumque gradus; numero Domus ampla fatiſcit.
Signo jamque dato per muſica pegmata, centum
Ad Cytharas properare manus; fidibuſque canoris,
Atque gravi Lituo ſonitum quoque Tibia miſcet.
Dulce melos bibitur. modulis vox terna paratis
Solvitur. Aula ſilet, pendetque canentis ab ore.
Nympha Tagi Phyllis teneros ſuſpirat amores
Tyrſidis; ingratum Tyrſin deſerta vocabat.
Chloris adeſt, Chloris Nympham miſerata dolentem eſt.
Hujus ope, & lacrymis permotus Phyllidis, alto
Pectore duritiem ſenſim excutit, & placidum ignem
Rurſus alit Tyrſis, votereſque inſtaurat amores.
Mox Luſitani, concordi fœdere, REGIS
Alternis laudes modulantur, grandia geſta
Commemorant, cantuque vocant Dominumq: Parentemq:
At poſtquam longum ſonuit concentibus Aula,

Par-

Parva mora eſt, Epulum NUNNUS quâ grande paravit,
Itur: diſpoſitæ patuerunt ordine Menſæ.
Quis numerum Eſcarum, referat quis nomina? namque
Haud tantum lactis quos pulte domeſtica dudum
Cors aluit pullos; tercentum lancibus offert
Quæſitas ſylvis, quæſitas æquoris unda
Externas Volucres. Atagen, Miliaria, Perdix,
Et quæ novit Avis peregrinam Phaſidis oram,
Orbibus appoſita eſt. Quis Poma recentia dicat,
Indolis et variæ quis conditanea Poma?
Alcinoi Autumnus quibus invidet. Amphora multo
Circumlata mero eſt. Spumant Crateribus aureis
Cæcuba; quæque tuus, felix Burgundia, palmes,
Palmes quæque tuus ſtillat, nemoroſa Zacynthos.
Menſarum medium, ſimul et latera omnia celſæ
Ornant Pyramides; ſunt hîc Bellaria, ſunt hîc
Plurima Sacchareo condìta Tragemata melle.
Principio ingreſſi Proceres, & Honeſtior Ordo,
Non ſervire gulæ; ſolo gaudere paratu,
Aſpectuque ipſo cupiunt; data munera libant
Gratantes, fruiturq: datis ſic ſplendidus Hoſpes.
Sed mox cum verſo reſerantur cardine valvæ,
Quâ data porta, ruit populus; tunc agmine facto
Inſtat nota Cohors, Procerum quæ curſitat Ædes,
Et ſolita eſt differre famem, jejunia longa
Ut redimat rapto quæſitis turpiter Eſcis
More Arabum; Diſco interdum luctatur in uno,

Cru-

Cruſtula; Paſtilloſque inhians dum captat; anhelis
Unguibus at nimium compreſſa ſolutilis eſca
Frangitur, & dulci vaneſcit pulvere præda.
Nunc tamen ut magno mirantur Edulia acervo
Creſcere, multipliceſque Dapes, manus utraque lances
Diripit; impatienſque moræ fœdiſsima Ventris
Ingluvies, non maxillis, non dentibus uſum
Permittit; ſolidos artus, atque integra fruſta
Ore vorant, & jure vides rorantia menta,
Roranteſque genas. ſtomachi jam pondere obeſi
Cedere viſa gula eſt. Sed Turba famelica, quamvis
Laſſa cibis, non eſt ſatiata, famique futuræ
Conſulit; hic pileo condit, conditque crumenis
Ille ſupervacuas epulas: ſudaria multi
Scriblitis onerant, aſſiſque volucribus: omnes
Abſcedunt hilares, et Xenia ſordida portant.
Quodque magis ſtupeas, inhoneſta, experſque pudoris
Improba Gens, coram tot Spectatoribus, audax
Urget opus; quin ridentes interrita ridet.
Sic modo conſumptis dapibus, menſiſque remotis,
Luſibus indulget, Luſoriaq: arma capeſſit
Omnis Nobilium cætus; Matronaque princeps
Invitat, geminis & colluſoribus uſa
Ludum agit, Hiſpano retulit qui nomine nomen.
Parte alia multos Latrunculus urget eburnus.
At reliqui, quibus Alveolus, quibus Alea damno eſt,
Lege cient ſaltus, juvat exercere Choreas,

Du-

Ducere & ad numeros alterna volumina crurum:
Omnibus hæc mens est tranquilla per otia tempus
Fallere; sic totam consumunt ludicra noctem;
Felicem Noctem, quam nullo aboleverit ætas
Tempore, dum magni signata est Nomine REGIS:
Ah redeas numerosa, precor, Pyliamque Senectam
Et REGI, NUNNOQUE feras, longumque per ævum
Alter honore pari celebret, celebretur & Alter.

